TRACTATVS DE IVRE PVBLICO

SIVE DE LEGIBVS, ET MAGISTRATIBVS SÆCVLARIBVS, ET ECCLESIASTICIS;

DE IVDICIIS PVBLICIS, ET PRIVATIS; DE REBVS; de Pontifice; Imperatore; & Fiſco; De re militari; & Ciuitatum; de Muneribus, & honoribus.

In quibus uniuerſum ius publicum ſæculare, & Eccleſiaſticum conſiſtit:

Quatuor Libris diſtinctus.

LEANDRI GALGANETTI
I. C. COLLENSIS PRÆCLARISSIMI
AC CIVIS ROMANI.

In quo miro ordine, ac facili Methodo; vltra dilucidam terminorum declarationem; multas, & penè infinitas proponit, & reſoluit quæſtiones totum ius ciuile, & Canonicum complectentes; quæ iuris candidatos plurimum iuuabunt.

Omnibus iudicibus, Aduocatis, Patrocinatoribus, & in vtroq; Foro profitentibus: Necnon ius ciuile & Canonicum docentibus addiſcentibus, Theologis, & Summiſtis, & cæteris omnibus vtilis admodum, & neceſſarius.

Cum Indice omnium Titulorum in unoquoque libro, ac verborum, & rerum notabilium,

CVM LICENTIA, ET PRIVILEGIO.

VENETIIS, Apud Iuntas, MDCXXIII.

DEO OPT. MAXI.
EIVSQVE PARENTI
VIRGINI DEIPARÆ.

Leander Galganettus ſupplex humi proſtratus.

HEM omnipotens rerum conditor, ac moderator Deus, ego ille, qui & adoleſcentiam fruſtra contriui meam, & firmiorem ætatem in re fluxa, terrenaque colenda miſerè conſumpſi, quaſi cultor Deitatis terrenæ, ego qui temere, nullaque de cauſa multum ſæpe defleui, flagraui, obrigui, amaui, extimui, ſperaui, pertuli, ego qui ſcripſi, qui cecini (quod pudet) qui feci multa, qui nihil feci; qui nihil fui; ego inquam ſummo tuo beneficio veritatem intuitus, ea cum animi demiſſione, quæ hominem decet tam multis contaminatum peccatis, & obſtrictum criminibus ex intimo ſuſpirans pectore, àc errata complorans mea, te demum imploro, in te ſolum ſpero, quæſoque vt has lugentis animi percipias querelas, ac preces, orationique meæ, benignas, & faciles admoueas aures. Deliqui equidem, impudenterque peccaui, ſed delicti, peccatique veniam poſco. quam vt facilè conſequar, hos ego tibi offero pœnitentiæ indices, labores, ac ſtudia mea; quæ profectò nihil æſtimanda erunt, ſi cum erroris grauitate comparabuntur. Verumtamen quemadmodum inter innumerabilia vitæ mala in hiſce ſtudijs vnicum ego remedium reperi, & in ijſdem quaſi Dauidis citharam aduerſus improbum Saulis ſpiritum nactus ſum, ſic ſpero futurum, vt tu, qui omnia ex nullis initijs excitaſti, acceptum velis laborem hunc meum eius loco compenſationis, quam pro peccatis, culpiſque debeo plurimam. Igitur horrore perfuſus, ac verecundia tinctus, ſupplex, atq; in genua prouolutus Deiparam Virginem humani generis patronam, ac Dominam enixè precor, vt cauſam apud te meam ſuſcipiat, nec prius orare clementiam deſinat tuam, quam mihi veniam impetret, efficiatque, vt hi ſtudiorum meorum fructus, ac fœtus ſint aliorum commodis vtiles, & ſalutares, mihi verò proficui, ita vt, ſi anxius vitam in procelloſis mundi huius illecebris duxi cupiditatibus, moriar in pace, & in portu, & ſi manſio fuit vana, ſit receſſus honeſtus. Interea exoratam te velis oro, vt reliquo vitæ diei qui ſupereſt, & extremo, digneris celeri continua tua benigna manu me ſuſtinere. Tu ſpes mea es, in te confido, vltrà non confundar.

TRACTATVS DE IVRE PVBLICO,

SIVE DE LEGIBVS.

& Magiſtratibus, Sæcularibus, & Eccleſiaſticis.

DE IVDICIIS PVBLICIS, ET PRIVATIS,

DE REBVS VTIQVE SAECVLARIBVS,

& Eccleſiaſticis Pontificis, Imperatoris, & Fiſci,

De re militari, & Ciuitatum, de muneribus, & honoribus; In quibus vniuerſum ius publicum ſæculare, & Eccleſiaſticum conſiſtit.

LIBER PRIMVS.

SVMMARIVM.

1 *Iuris ſignificationes plures, & variæ.*
2 *Ius eſt ars boni, & æqui.*
3 *Ars eſt collectio, & ordo præceptorum.*
4 *Iuris præcepta generaliſſima, quæ, & ligant oẽs in conſcientia.*
5 *Iuris præcepta ſpecialia, quæ.*
6 *Ius aliud publicum, aliud priuatum.*
7 *Ius publicum in quibus conſiſtit.*
8 *Lex in genere quid ſit.*
9 *Leges circa quæ verſantur.*
10 *Ius, & lex differunt, & quomodo.*
11 *Legem quid fecit.*
12 *Legis virtus, quæ.*
13 *Ius totum in quibus conſiſtat.*
14 *Legibus, quæ accedant, & cui referantur.*
15 *Ius legis ferendæ ad quos ſpectet.*
16 *Leges de quibus rebus, ferendæ.*
17 *Leges non in ſingulos, ſed in omnes latæ.*
18 *Legiſlationem, quæ præcedere debeant.*
19 *Leges ad ſimiles caſus, quando extendendæ, ſupplendæ, ſeu interpretandæ.*
20 *Interpretari leges, & Canones qui poſſit.*
21 *Interpretatio legum quomodo facienda.*
22 *Conſuetudo non extenditur.*
23 *Neceſſitati, quoad ſeruit, & tempori non extenditur.*
24 *Priuilegium non extenditur.*
25 *In rebus dubiis ſeruandum eſt verbis.*
26 *In dubiis ſententia benignior tenenda.*
27 *Conſuetudo in interpretandis legibus attenditur.*
28 *Leges priores declarant poſteriores.*
29 *Et è contra, niſi contrariæ ſint.*
30 *Fauore alicuius ſtatuta contra non interpretanda ſunt.*
31 *Lex vtilis Reipublicæ extendenda.*
32 *Beneficia Principis pleniſſimè interpretanda.*
33 *Verba legum cum effectu accipienda.*
34 *Lex etiam ſine ratione ſubſiſtit.*
35 *Lex vim cogentem habet.*
36 *Leges non facile mutandæ, ſed iudicandum ſecundum eas.*
37 *Scientia legum quomodo adipiſcenda.*
38 *Scire leges quid ſit.*
39 *Iuriſprudentia quid ſit.*
40 *Sacerdotes iuris iuriſprudentes ſunt.*
41 *Obſeruantia, & inobſeruantia legum, quæ; & peccatum mortale inobſeruantia legum.*
42 *Iniuſtitia non eſt omne, quod fit contra leges.*
43 *Leges æquæ ſint, vel iniquæ nil refert.*
44 *Leges diuino iuri contrariæ non ſeruandæ.*
45 *Recedere à legibus, quando liceat.*
46 *Species derogat generi.*
47 *Ceſſante ratione legis, ceſſat lex.*
48 *Ius perſonale alios non ligat.*
49 *Pactis priuatorum derogatur legibus.*
50 *Lex non trahitur ad cauſas præteritas.*
51 *Conſuetudo non trahitur ad præterita.*
52 *Conſuetudo interpretatiua retrotrahitur.*
53 *Lex nondum inſinuata non ligat.*
54 *Lex derogata non ligat*
55 *Diuino iuri non poteſt derogari.*
56 *Mutatio iuris, lite pendente non afficit.*
57 *Papa, Imperator, & Auguſta legibus ſoluti ſunt.*
58 *Lapſis iuris ignorantia ſubuenitur.*
59 *Ius finitum, non infinitum eſt. Opiniones iuris infinitæ ſunt.*

De Iure, & legibus in genere.
Tit. 1.

DE Iure publico dicturi, de Iure, & legibus in genere, in primis eſt diſſerendum.
1 † Iuris autem variæ ſunt ſignificationes, l. penult. & vlt. ff. de iuſt. & iur. Aliquando enim ius accipitur pro lege, aliquando pro ſententia, & decreto quãuis duro, & iniquo, vt in dictis legibus, & in l. proſpexit 12. in princ. ff. qui, & à quib. & in l. ſupellectile 2. §. final. ff. de ſupellect. legat. & ſi ius dictum ſit, quia iuſtum in diſtinct. 1. cap. ius generale, §. ius autem aliquando pro poteſtate, ſeu facultate à lege cõceſſa, vel pacto acquiſita agendi aliquid, vel faciendi, ita enim iter, actus, via, vſuſfructus ius dicitur, §. 1. inſtit. de ſeruit. præd. §. 1. inſtitut. de vſufr. & in actio ius dicitur perſequendi in iudicio, quod ſibi debetur, §. 1. inſtit. de act. Aliquando ius accipitur pro loco, in quo ius dicitur dicta l. penult. §. alia ſignificatione, ff. de iuſt. & iure. Aliquando ſumitur pro neceſſitudine, cognatione, vel affinitate dicta l.
2 vlt. ff. eod. D. Thom. 2. 2. q. 57. artic. 2. Hoc autem loco † ius nihil aliud eſſe profitemur, quàm artem boni, & æqui, vt dicitur in l. 1. §. 1. vbi præclarè Bud. poſt alios, ff. de iuſtit. & iur. & latiſſimè Ioann. Bolognett. poſt rubr. ff. eod. in tract. de multipl. ſignificat. & differ. iur. & fact. Impia enim eſt iuſtitia, quæ humanæ fragilitati non nouit ignoſcere, id eſt, quæ artem hanc boni, & æqui ignorauit. Ideo vidit Deus figmentum noſtrum, & miſertus eſt noſtri, vt huius artis
3 Magiſter. † Ars autem hæc eſt collectio, & ordo præceptorum ad aliquem finem vtilem vitæ humanæ Ariſt. lib. 5. moral. c. 10. & c. 1.

Cum autem ius, ars illa boni, & æqui iuſtitiæ præcepta contineat à iuſtitia quoque, & à iuſto nomen deſumpſit, l. 1. in principio, & §. 1. ff. de iuſt. & iur. & dict. §. ius autem, quemadmodum cæteræ artes denominantur à rebus, cuius artes ſunt, ac præcepta tradũt, vt Aſtronomia ab Aſtris,